



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XXX. De eo, qui Furtivè Ordinem suscepit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)



TITVLVS XXX.

De eo, qui Furtivè Ordinem suscepit.

SUMMARIUM.

1. Furtiva Ordinatio tribus modis est.
2. Contra ordinantis prohibitionem Ordines aliquando invalide:
3. Plerumque validè recipiuntur.
4. Furtivè Ordinati suspensionem:
5. Et aliquando irregularitatem incurvunt:
6. Quas Papa, & aliquando Episcopus aut Abbas relaxat.

1. **D**emum circa Ordines delinquant Clerici, eos suscipientes furtivè seu clandestinè: cujusmodi susceptionis reus imprimis est, qui absque licentia & consensu Episcopi vel prævio examine & approbatione dolosè se immiscet ordinandis, ordinatore ignorante, *can. Quando 5. dist. 24. can. Extra 4. dist. 62. & c. 1. junctâ Glossâ V. Furtivè, hic.* Dein is, qui ad Ordines minores admittitur, eadem die simul recipit Subdiaconatum, *c. Cum H. 2.* & demum, qui contra superioris inhibitionem eodem tempore dolosè simul recipit duos Ordines majores, *c. fin.* Unde
2. Dubium oritur de valore Ordinum furtivè, præsertim primò modò, susceptorum. De eo dubitandi ratio est; quòd in collatione Ordinum ab Episcopis ordinantibus, vel eorum nomine ab Officialibus præmitti soleant verba. *Non intendimus ordinare non examinatos aut ap-*

probatos. Sed esto, casu, quòd ordinans talem intentionem revera habet, Ordo invalidè suscipiatur & iterandus sit, validè tamen recipitur & characterem imprimit, quando ejusmodi protestatio non præmittitur, aut eà etiam præmissâ, Episcopus ordinare intendit personas præsentis: quod in dubio præsumendum: & protestationem illam furtivè accedens volentes absterrendi potius, quàm aliquem non ordinandi animò præmitti consuevisse, aliqui existimant apud Card. de Lugo *de Sacrament. disp. 8. n. 119.* eique protestationi ac voluntati conditionatæ, si non excommunicatus, si approbatus & examinatus es, absolutam & universalem intentionem circa personas præsentis faciendi, quòd Ecclesia facit, prævalere, præter alios volunt Laiman *Lib. 5. tract. 1. cap. 4. n. 6.* & Bonacina *de Sacrament. disp. 2. q. 2. p. 4. n. 6.* cum; quòd ejusmodi conditionis appositio conformis non sit ritibus ac praxi Ecclesiæ universalis & antiquæ: tum verò; quòd ejusmodi intentio conditionata secum trahat gravissima incommoda, quæ de valore Ordinationis ex ea oriuntur, ut probè advertit Lugo *l. cit.*

Dubium secundò est, de furtivè ordinatorum pœnis. Non quidem suspensionis ab ita susceptorum Ordinum executione; hanc enim incurri, ex *c. Innotuit 3. textu*, sic ordinatos in susceptis Ordinibus ministrare non permittente; & si ita suscepti

suscepti essent, contra prohibitionem sub
 excommunicatione ab Episcopo præmis-
 sam, furtivè ordinatum tanquam excom-
 municatum in nullo Ordine ministrare
 posse, ex dictis Tit. 27. n. 5, constat: sed
 irregularitatis: quam ejusmodi Ordinum
 susceptione contrahi, asserunt Panormit.
 in c. Cum H. nec. 2. & Navarrus Manual.
 n. 241. quòd Ordinem suscipiat ligatus
 censurâ. Negant autem Covarruvias in
 c. Almap. 1. §. In. 6. & Suarez de Censur.
 disp. 31. §. 1. n. 57. quòd eam contrahi ullo
 Jure non sit expressum. Mihi non in con-
 grùè adhiberi distinctio videtur. Et casu
 quidem, quò non examinatus vel appro-
 batus ordinandis dolosè se ingerendo, con-
 tra prohibitionem factam sub excommu-
 nicatione Ordinem suscipit, irregularita-
 tem quoad susceptionem Ordinis superi-
 oris incurri, censo cum Laiman Lib. 1.
 tract. 5. p. 5. cap. 3. n. 1. Bonacina disp. 7. de
 Irregularit. q. 3. p. 4. n. 6. Barbosa in c. cit.
 n. 5. & aliis, qui id colligunt ex c. 1. cit. ex
 ejus decisione, tali prohibitione insuper
 habita, furtivè ordinatus in diaconum ad
 altiorem Ordinem nequit promoveri: qui
 est præcipuus effectus irregularitatis, teste
 Covarruvia in Element. Si furiosus pr. n. 1.
 Cæteris autem modis furtivè ordinatum

v. g. cum minoribus subdiaconatum, aut
 duos sacros Ordines sine dispensatione
 simul recipiendo, suspensionem tantum
 incurrit, cum Palao Tract. 29. disp. 6. p. 17.
 n. 1. desumo ex c. Cum H. & c. fin. cit. quo
 textu utroque tales ministrare prohiben-
 tur in susceptis, quâ prohibitione suspen-
 sionem significari, ad hanc Rubr. observat
 Pirrhing n. 3.

Sicut de penis, sic de istarum rela-
 xatione discurrendum, & adhibenda di-
 stinctio est; vel enim Ordo furtivè sus-
 ceptus est, non præmissâ prohibitionem sub
 excommunicatione, vel talis prohibitio
 est præmissa? Si prius, cum Ordinato, si
 in seculo maneat, Episcopus: si Religio-
 nem ingrediatur, etiam Abbas dispensare
 valet, c. 1. & c. Cum H. cit. Si posterius,
 cum eo Religionem ingresso ibidemque a.
 liquamdiu laudabiliter conversato, ut in
 susceptis ministrare & ad superiores Or-
 dines promoveri valeat, dispensari ab Epi-
 scopo potest, c. cit. Si verò in seculo ma-
 neat, dispensationem Papæ soli compete-
 re, perspicuum est ex c. 1. & c. fin. cit. nisi
 delictum esset occultum; hoc enim casu
 dispensandi facultas etiam Episcopo com-
 peteret, ex concessione S. Synodi Trident.
 Sess. 24. cap. 6. de Ref.


5:

6.



TITVLVS XXXI.

De Excessibus Prælatorum & Subdito- rum.


 Astenus declaratis clericis
 communibus succedunt ex-
 cessus à Prælati in subditos,
 & ab his in istos soliti com-
 mitti: quorum quibusdam ad superiores
 Libros jam explicatis, ad hanc Rubricam

alios summatim attingemus, eisque subje-
 ctorum textuum occasione agemus de Ec-
 clesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum
 Unione, Edificationeque Monasteriorum:
 hisque impostam Clausuræ legem istius-
 que temerè violatæ penas adjiciemus.

ARTICU.